DE

ACIDI BORUSSICI USU IN SPASMIS EX PERVERSA SYSTEMATIS SEXUALIS FUNCTIONE ORTIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
BEROLINENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXIX. M. SEPTEMBRIS MDCCCXXV
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

H. F. A. KALLMANN
BABIMOSTIENSIS.

OPPONENTIBUS:

H. GRIMM, MED. CAND.
R. KLATTEN, MED. DD.
G. WERNHER, MED. DD.

BEROLINI,
TYPIS IOANNIS FRIDERICI STARCKII.

A. Lane

VIRO

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO

J. BUETTNER

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORI, MEDICORUM EXERCITUS BORUSSICI SUPREMO PRAEFECTO INSTITUTI FRIDERICI GUILIELMI ET ACADEMIAE MEDICO-CHIRURGICAE DIRECTORI, ORDINIS REGII DE AQUILA RUBRA IN TERTIA CLASSE, DE CRUCE FERREA IN CLASSE SECUNDA, ORDINIS CAESAREI RUTHENICI STI WLADIMIRI, NEC NON STAE ANNAE, ORDINIS SUECICI VASANI, ORDINISQUE BELGICI LEONICI EQUITI AURATO ETC. ETC.

FAUTORI

SUMME VENERANDO

HASCE

STUDIORUM SUORUM

PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Prooemium.

Per annum, quem, ut in medica arte proficerem, in nosocomio caritatis Berolinensi transegi, multas variasque spasmorum species observandi, praecipue autem, Dre Sinogowitz, viro eruditissimo, duce inter epilepsiam veram et spasmos ex laesa systematis sexualis functione ortos, discrimen cognoscendi, occasio mihi est allata. Hicce vir excellentissimus, in scripto quodam hucusque typis nondum excusso, quo pro sua in me benevolentia, in hac dissertatiuncula elaboranda usus sum, primus hoc inter epilepsiam et spasmos, e perversa systematis sexualis functione natos, discrimen ingeniosissime illustrat, atque ubi medicaminum acidum borussicum continentium locus sit, optime indicat. Jam quum mihi persuasum habeam, hancce sententiam sane veram esse, neque ego, tiro enim, novi aliquid adjicere possim: id tantum egi, ut rei veritatem casibus nonnullis fide enarratis demonstrarem, eoque fortasse efficerem, ut alii medici, facilius ad viri illius excellentissimi sententiam adducerentur. —

L. U. matre gracili, sensibili atque pubertatis evolutionis tempore spasmis laborante, nata, jam ab infantia, praecipue in dentione, spasticis affectionibus vexabatur, quae puerili aetate syncope saepius redeunte, se manifestabant. Anno quinto decimo nondum peracto, cum totum L. U. corpus ad justam magnitudinem non pervenisset, primus menstruorum fluxus cum dolorificis spasticisque abdominis affectionibus conjunctus, in conspectum venit. Hocce menstruorum fluxu manco atque typo anomalo repetito, gravis hysterismus ortus est, qui in dies incrementa capiens, molestias, Catameniis instantibus, magis magisque augebat. Mense Augusto anni MDCCCXXIII, quum per longum temporis spatium Catamenia non apparuissent, febris synochica accessit, qua methodo antiphlogistica fugata, non modo hysterismus, emmenagogis calidis postea adhibitis, auctus est, sed etiam pectoris spasmi, qui dicuntur sonantes, orti sunt. Inde ex eo tempore aegrotans spasticis affectionibus fere nunquam liberata erat, quae in dies majori vi ingruentes, anno MDCCCXXIV incipiente, jam in convulsiones universales transibant, atque quamquam plurima medicamina antispasmodica et antepileptica una serie adhibebantur, tamen usque ad mensem Octobrem sensim sensimque exacerbabantur, unde aegrotantem equidem observavi. Aegrota fere annum undevicesimum adepta, paene adulta videbatur: statura quidem parva et robusta, musculi validi, magna pinguedinis copia involuti, roseus faciei color, hilaris vultus atque laetus, in-

signis turgor vitalis. Oculi splendentes quemque animi motum perspicue exprimebant. Valde ad sanguinis congestiones aegra inclinabat, qua ex causa de capitis doloribus, de photopsia, de cordis palpitatione, de respiratione oppressa, atque de pleuriticis affectionibus haud raro querebatur. Manus et pedes plerumque frigidi, venis pernitentibus inflati, sudore madebant. Lingua rubra, muco albescente obducta erat, appetitus quamquam incertus, plerumque tamen non turbatus;alvus saepe obstructa. Abdomen intumescens nonnunquam in sinistri hypochondrii regione dolebat. Catameniorum, vel haud omnino vel aliquot per horas modo fluentium loco, leucorrhoea interdum apparebat, quae saepius quoque antecedebat, aut sequebatur. Haud raro aegrota pungentes dolores volatiles in genitalium atque ovarii dextri regione sentiebat, qui tempore illo, quo menses aut paroxysmus instabant, ita nonnunquam adaugebantur, ut aegra, fulmine quasi percussa, clamorem tollens in terram prolaberetur. Somno longo quidem, sed phantasiae lusionibus saepe turbato atque interrupto fruebatur. Animus ad securam hilaritatem propensus erat, quae vero ob magnam sensibilitatem hystericam haud raro in tristitiam facillime convertebatur. Systema sanguiferum et nervosum magnam invicem vim exercebant, ita ut leviora nervorum irritamenta, aut animi pathemata mitiora statim magnam systematis vasorum sanguiferorum turbam producerent, quam semper, dummodo vehementior esset, paroxysmus sequebatur. Omnino fere paroxysmi iis momentis provocabantur, quae inprimis sanguinis circuitum impediebant. In magnetismum animalem hicce status minus erat sensibilis. Leni cuique fere paroxysmo valetudo incommoda per horas nonnullas antecessit, cui praecipue hi erant prodromi: horripilatio, calor volatilis, frigor a pedibus surgens, lassitudo magna et dormiendi cupiditas, tunc quoque abdomen inflatum atque

intumescens, dolores pungentes in uteri, ovarii dextri, hypochondrii sinistri atque in lumborum regione, sensus gravitatis extremitatum inferiorum auctae, respiratio oppressa et anxia, palpitatio cordis, capitis dolor, tinnitus et susurrus aurium, photopsia, phantasmata, animi stupor atque magna oblivio. Plerumque facies ardebat, rarius pallebat, extremitates semper gelidae, pulsus irregulares, spastice contracti videbantur. Quae vero omnia non semper in conspectum venerunt; cum interdum, praecipue post subitaneas causas occasionales, aut animi affectiones, paroxysmi sine ullis prodromis derepente apparerent. Plerumque paroxysmus cum delirio incepit, quod cum non fieret, spasmi et deliria invicem se sequebantur; rarius tamen paroxysmus delirio finiebatur. Paroxysmum qui cum delirio, seu statu ecstaseos inceperat, semper prodromi supra enumerati praecedebant. Aegrotans postquam per aliquod tempus aegre se habuerat, subito rem, quam manibus tenebat, dejecit, exsiluit, aufugit, in omnes res elatas magna assiduitate adscendit. Musculi tanta vi gaudebant, ut custodes haud pauci summa tantum virium intentione aegrotam vincere possent. Quaelibet, quae arripere poterat, delevit, libentissime res splendentes, e. c. vitrum, metalla, etc. concepit, statim eas ori attulit, dentibus quasi convellit atque devoravit. Haec cum ingente clamore, risu saltuque peregit, semper immodicum effusumque gaudium atque petulantiam puerilem ostendit, ut diligentius eam observari et vinculis ligari necesse esset. Varias inanesque nugas garrivit, et plerumque dialecto humili, semper fere e puerili aetate facta enarravit, rarius jamjam in futuro se vivere putavit, nunquam de praesente tempore locuta est. Varia visa ridicula ei occurrere et ipsa phantasmatibus suis tantummodo vivere videbatur, ut omnes res externae sine ullo irritamento transgrederentur, atque omnes sensus externi quasi sepulti videren-

tur. Facie rubescente, oculis radiantibus, pulsibus plenis et frequentibus, inspiratione celeri atque alta, totius corporis superficies calida erat atque profuso sudore madebat. Delirium, si animi pathemata paroxysmum provocaverant, alio modo apparebat, et plerumque illorum naturam induit. Itaque aegrotans indignatione aut fama tristi antea percussa, in fletum erupit, manus torsit, capillos evulsit, faciem verberavit laceravitque, neque prius conquievit, quam spasmo intrante haec scena finiebatur. Vehemente ira antecedente in delirio nonnunquam furuit, verberavit morfitque, atque si rem accipere non poterat, in quam furorem effunderet, suum ipsius corpus dilacerare studuit.

Cum delirium per horae quadrantem ad horas duas hoc modo perseverasset, aegrotans subito immutuit atque oculis immotis in uno loco haesit, genarum rubor disparuit, cutis temperies antea aucta deminuta est, totius corporis sudor evanuit, pulsus minores, spastice contracti, respiratio brevis atque oppressa. Extremae partes refrigescebant, pugni, inclinato pollice, comprimebantur. Nunc quassato, tremente et rigescente toto corpore spasmus ipse incepit.

Extremitates, nuchae atque truncus post subitaneam conquassationem extendebantur, aut eumdem situm, quem antea acceperant, obtinebant. Extremitates superiores, omnibus pectoralibus musculis agentibus, arcte ad truncum adtrahebantur. Caput plerumque, omnibus colli musculis contractis, pectori appropinquabat, ita tamen, ut collum brevius tumidumque videretur. Trismo os, blepharospasmo oculi claudebantur. Facies intumescebat, ex caeruleo rubescebat, respiratio cessabat, pulsus deminuebantur, inordinati, duri, parvi, saepius quoque vix tactiles erant. cutis calor magis magisque disparebat. Dimidia vel tota horae sexagasima parte praeterlapsa, tetanus hicce paululum cessavit, respiratio magno cum suspirio re-

diit, interrupta tamen, et diaphragmatis convulsionibus, singultus adinstar, producta, superiore trunci parte spasmodice tremente pulsus calorque paululum adaugebantur, atque tunc spasmi, quos dicunt ferientes, invaserunt. — His in spasmis extremitates rigidae atque extensae, brachia, ut antea, arcte ad truncum pressa, columna vertebrarum rigida stabilisque atque hac ex causa totus quoque truncus et collum eodem fere statu permanebant. Pelvi atque inferioribus extremitatibus fixis truncus extensus, abdominis et femorum musculis agentibus, in propensum situm celeriter surrexit, neque minus celeriter supine magna vi se prostravit, ut occiput vehementer in terram feriret. Hi trunci sursum deorsumque motus, sexies ad quindecies viciesve repetiti, paululum conquieverunt, respiratio, antea prorsus suppressa, iterum cum gemitu et singultu redibat. Cutis temperie iterum adaucta, sudor toto corpore, praecipue in facie erupit; pulsus majores redditi, tamen spastice paululum suppressi permanebant. Os oculique adhuc spasmo claudebantur, extremitates in tetano perseverabant. Hicce status per nonnullas minutas, raro longius perduravit, sed magis magisque recessit, et in quandam membrorum rigiditatem transiit, quae, nisi, postquam aegrota, nonnullis inspirationibus altis factis, plane experrecta esset, cessabat, in tetanum cum omnibus supra enarratis phaenomenis conjunctum, transiit. Quod sine ulla intermissione per horae quadrantem ad tres horas repetitum, aegrotantis vires summopere exhauriebat, ut quies somnusque mollis intraret. Saepius tetanum spasmorum ferientium loco pectoris spasmus, qui dicitur sonans, secutus est, qui in uno eodemque paroxysmo repetitus, semper denuo in tetanum vel Catalepsiam transibat, cui invicem convulsiones ferientes succedebant. Hi pectoris spasmi sonantes diaphragmatis atque respirationi servientium musculorum convulsionibus, rythmice repe-

titis, efficiebantur, addito insuper bronchiorum laryngisque spasmo antagonistico. Quamquam enim omnibus musculis, respirationem adjuvantibus, eodemque tempore contractis, thorax satis superque amplificatus erat, ut inspiratio alta fieri posset, tamen haec brevior, incompleta et quasi singultu interrupta fiebat; tanquam subito larynx atque bronchia spastice contracta, quominus porro spiritus duci posset, impedirent. Inspirationes breves acuto raucoque sonitu efficiebantur, quas tardiores exspirationes, tonum profundum, minus clariorem edentes, sequebantur. In his convulsionibus aegrota, non nisi erecta in lecto sedens paullum molestiis laxata, cum pectoris spasmo sonante denuo incipiente simul resipisceret, incredibiles dolores tantumque angorem toleravit, ut perpetuo jactaretur, in quibuslibet rebus se tenere studeret, capillos evelleret, atque nonnunquam ad desperationem perduceretur. Facies foede distorquebatur, humeri thoraxque ingente vi tollebantur totum corpus sudorem profusiorem effundebat, pulsusque irregulares et valde suppressi sentiebantur; in primis vero affectum diaphragma videbatur. Hic status postquam per quinque ad quindecim minutas perduraverat, aegrota cum sensuum omnium externorum et internorum abolitione, oculos clausit, pollices retrotraxit, atque nunc vel tetano denuo arripiebatur, vel stadium mere catalepticum incipiebat, ex quo, cum paulo post quasi expergefacta, aut plane sui compos facta esset, paroxysmo liberabatur, aut in tetanum et convulsiones eodem modo redibat. Quae phaenomena, postquam per horae quadrantem ad tres vel plures horas invicem apparuerant, et aegrotantis vires summopere exhaustae erant, haec, ut jam supra dixi, aut subito, ex somno gravi expergefactae instar, ad perfectam conscientiam perveniebat, aut statim in somnum mollem brevemque incidebat. Postea dolores quidem omnium corporis partium, praesertim autem, cum pectoris

spasmis paullo vehementior fuisset, circa diaphragmatis regionem, maximos querebatur, in universo tamen, paroxysmo finito, melius sese habebat, quam antea. Ejusmodi paroxysmi, viginti quatuor per horas quater quinquiesve reiterati sunt, et plerumque sub vesperam inciderunt.

Cum aegrotanti omnia plethorae sanguinis symptomata essent, atque ex phaenomenis satis eluceret, plethoram hanc systematis nervorum morbum producere, vena incisa est, nec non, lypothymiae intrantis causa, unciae sex tantum sanguinis demitti potuerunt. Interne, ut irritabilitas adaucta deminueretur, praescribebatur:

℞. Infus. Menth. pipt. ℥*Vj*
Kali nitrici ʒ*jjj*
Extr. Taraxaci ℥ß

MD*f*. in horas cochlear majus hujus mixtionis assumi. Nonnullis diebus praeterlapsis paroxysmorum frequentia et gravitas jamjam deminuta, cum autem alvi ductio retardaretur, hoc modo medicamen est mutatum:

℞. Infus. Fol. Sennae ℥*Vj* (ex ʒ*jj* parat.)
Kali tartarici
Extr. Taraxaci āā ℥ß

Cujus post binas horas cochlear majus exhauriri jubebatur.

Nonnullis diebus post molimina menstrualia adveniebant, qua ex causa quotidie calidum pedum balneum adhiberi, et interne in superioris medicaminis usu continuato hujus electuarii:

Hbae. Sabinae ℥*j*
Olei Sabinae aeth. gtt. XX.
Mell. despumat q. s. ut f. elect.

in diem tria cochlearia minora sumi, praescribebatur.

VIII. d. a. Cal. Novembr. catamenia quidem fluebant, sed per nonnullas modo horas, spasmis non mutatis. In continuato hujusce electuarii usu vehementiores sanguinis ad organa adfluxus, calor volatilis, nausea, vomitus et magna muscu-

lorum lassitudo, pulsus febriles atque lingua obducta apparebant, ut electuarium dimitteretur, et nil nisi Infus. Fol. sennae superius porro sumi posset. Pedum balneae quotidianae, ut jam prius, semper paroxysmum provocabant. Nervorum sensibilitas hoc tempore valde adaugebatur, qua aegrota in magnetismum animalem magis magisque sensibilior fiebat, ut quovis tempore paroxysmi, eo adhibito, sedari possent. Attamen eo extensiores et graviores permanebant, cum haec mitigandi ratio omitteretur.

A Cal. Novembr. superiore jussu aegrotans Olei Carvi aetherei gtt. X. in spiritus Jamaicensis cochleari minore, bis in diem sorbuit. Hoc medicamine systema sanguiferum adhuc praevalens maxime turbabatur; spasmi omni ratione valde adaucti, per diem quinquies octiesve redibant. Inprimis vero pectoris spasmorum vehementia valde crescebat, ut saepius sputa cruenta in spasmo ejicerentur, quibus terribilis spasmus colli inflativus seu strangulans accedebat. Hujus spasmi superioris corporis partis opisthotonus causa fuit, qui cum vehementissima colli strangulatione conjunctus, non modo respirationem per minutas prorsus suppressit, sed etiam sanguinis ex capite refluxum plane impedivit, ut, ne apoplexia produceretur, metuendum esset. Venae, sanguine abunde repletae, faciem collumque summopere inflaverunt, atque livido colore infecerunt; oculi ex orbitis prosiluerunt et lacrymas effuserunt, qui casus aegrotanti eo horribilior erat, quod in eo conscientiae compos erat.

In primis XIV. d. a. Cal. Decembr. hi casus vehementes erant, quo die aegrotans in delirio vas vitreum arripuit, dimorsit et testas ejus nonnullas devoravit, quae terribiliores colli spasmos, cum tetano, pectoris spasmo et convulsionibus ferientibus quatuor per horas invicem mutantes, provocaverunt, qui nihilo, ne magnetismo animali quidem mitigari potuerunt. Affectionibus

his spasmodicis sponte denique sublatis, de vehementibus in regione ventriculi doloribus est questa, qui vero emulsione oleosa praescripta, sine ullo exitu tristi, sublati sunt.

XII. et X d. a. Cal. Decembr. iterum mensium fluxus apparuit, bis tamen jam nonnullis horis post disparuit, quamquam calidis pedum balneis eum retineri tentatum est. V. d. a. Cal. Decembr. tandem Olei Carvi aeth. usus omittebatur, quod in quacunque ratione damno fuerat, et statum febrilem protulerat. Hac ex causa aegrotans mixtionis, ex Kali nitrico, Natro sulphurico, Infus. Jalappae et Syrupo simpl. confectae, bihorio cochlear majus haurire, jubebatur. Quo medicamine systema sanguiferum turbatum sedabatur, alvi ductio, antea retenta, provocabatur, atque poroxysmi antea frequentes rariores nunc reddebantur. —

Hocce tempore aegrotans languide lasseque se habuit, de dyspepsia, nausea praecipue matutina, querelas gessit. Leucorrhoea cum stranguria conjuncta oriebatur, quae vero Ammonio muriat. in usum ducto nonnullos post dies desiit. Genae pallescebant, pulsus irregulares, minores, molliores apparebant. Nervorum systema majorem prodebat sensibilitatem, ita ut strepitus quisque subitaneus aegrotantem perterreret; somnus levior atque turbatus esset, et major magnetismi animalis recipiendi in aegrotante exstaret proclivitas. IV. d. a. Non. Decembr. aqua Amygdal. amar. quae nervorum sensibilitatem minueret, in usum est vocata, et hoc modo ut mixtionis ex Aquae Amygdal. amar. ℥jj. Aquae Cerasor. nigr. ℥V confectae, in diem matutino tempore cochlear majus hauriretur. Simulque, ut priore Infuso Jalappae moderate frueretur, praescribebatur. Quid quantumque haecce medendi ratio valuerit, paulo post nonnullis diebus vix praeterlapsis, patefactum est; nam spasmi rarius conspiciebantur, saepius per diem non apparebant, et a VI. d. a. Id. usque

ad Idus Decembr. omnino non animadvertebantur.

Id. Decembr. lenior paroxysmus apparuit magnetismo a me sedatus; cum vero in somno sequente magnetico, me absente, soror aegrotantem attigisset, convulsiones illico leniores exstiterunt, atque jam cum soror perterrita aegrotanti opem insuper latura esset, convulsiones novi cujusdam generis, horribiles visu, natae sunt, quae difficillime a me tranquillari poterant, atque ab hoc tempore in omnibus sequentibus paroxysmis praevalebant. His enim in spasmis, quos volventes dicam, corpus opisthotono, emprosthotono pleurotonoque, perpetuo mutantibus, modo dextrorsum, modo sinistrorsum, modo antrorsum, modo retrorsum, prout in anguium fere motibus, (quod simile, cum difficillima sit distinctior aegrotae motuum descriptio, arripui) conspici potest, grunnitum foedum proferens, magna vehementia volvebatur. Manus, brachia, pedes, femora, facies, columna vertebrarum, ut uno verbo dicam, omnes corporis partes, quae moveri poterant, valde mirabiliter distrahebantur et curvabantur, ita ut aegrotans, vinculis angustissimis nexa, a pluribus insuper hominibus coërcenda esset, ne aut e loris elaberetur, aut eadem dirumperet. Quo diutius autem aegrotans ab hominibus illis retinebatur, eo magis convulsionum furor adaugebatur, et ego tantum, adclamatus, alienis hominibus remotis, paroxysmum placare valui.

Praeter hunc paroxysmum aegrotantem mense Decembr. tres tantum paroxysmi mitiores ejusdem generis, quod modo descripsi, invaserunt, et bene se habuit illa, quamquam menses, XV. d. a. Cal. Jan. apparentes, sex per horas modo fluebant. Aquae Amygdal. amar. doses sensim sensimque augebantur, ut ad Decembr. finem aegrotans superioris mixtionis in diem tria cochlearia majora hauriret. Quod medicamen hoc tempore haud parum egit in aegrotantem, quae se languidam

lassamque perpetuo esse, querebatur, et femora gravia et lacerata credebat. Pulsus minores, imbecilliores, facies magis pallida videbantur. Identidem leucorrhoea cum stranguria conjuncta apparuit, quae semper, nonnullis diebus elapsis, recedebat. Post horas vero nonnullas, ubi medicamen assumserat aegrotans, pressu et ardore in ventriculo et oesophago urgebatur. Sensibilitas systematis nervorum valde erat diminuta, nam tum magna ad terrorem proclivitas prorsus fere remota erat, tum animi hysterica sensibilitas et mobilitas magis magisque evanescebat, atque, quae antea exstiterat, in magnetismum animalem receptivitas magnopere recedebat, nec spasmorum energia et vehementia comparanda erat cum prioribus. In delirio aegrotantem hominibus praesentibus jam moveri satis apparebat; nam quamquam, quinam singuli essent homines et quaenam res, non intelligebat et ad imaginationis phantasias omnia tantum referebat, videbat tamen et audiebat, atque ad interrogata, rogatione neglecta, ex ideis suis fixis respondebat; sese diu jam sanatam, ex nosocomio demissam putavit, nominum eorum, qui aderant oblita, omniaque nominibus, e puerili aetate memoriae adhaerentibus, significans.

Mense Jan. sensim sensimque lassitudo, ardor pressusque in ventriculo post medicamen assumtum amovebantur, quamquam quotidie quatuor cochlearia majora medicaminis sorbebat. Genarum rubor, appetitus, vires magis magisque restitutae sunt. et duo modo paroxysmi Non. Januar. atque XIII. d. a. Cal. Febr, eam invaserunt.

XIII. d. a. Cal. Febr. catamenia, paroxysmo finito, apparebant atque per quinque dies sine ulla intermissione fluebant. Tum optime se habuit, ita ut, brevi temporis spatio praeterlapso, plethorae sanguinis indicia animadverterentur. Pulsus paulatim pleniores et duriores fiebant, vertigo, cordis palpitatio, cephalea, respiratio leniter oppressa redibant, quae symptomata ita augebantur,

bantur, ut VI. d. a. Id. Febr., ne paroxysmus sese iteraret, venae sectio institueretur, necesse esset, praesertim cum jam tempore hujus diei matutino delirii symptomata in conspectum venissent. Sed octo unciis sanguinis vix demissis, delirii causa jam intrantis, vena claudebatur. Paulo post paroxysmus, quamquam leniori modo, quam antea fieri solebat, conspiciebatur.

Hoc a tempore omnes affectiones spasmodicae aegrotanti pepercerunt, semper optime se habuit et catamenia iterum quinque per dies fluxerunt. Mense Martio incipiente denuo de vertigine, de cephalea questa est; cum vero, ut haecce incommoda amoverentur, balneae pedum calidae praescriptae essent, eventus, ut jam saepius in aegrotante animadverteram, non cum prospero successu erat conjunctus, nam delirium provocabatur, quod vero nonnullis horis praeterlapsis, spasmo non apparente, evanescebat. Ex quo tempore tussi sicca, respiratione oppressa, capite periodice dolente aegrotans afficiebatur, quibus vero omnibus pulvere temperante remotis, optima valetudine perpetuo gavisa est. Catamenia tertio quinque per dies inter leviores hystericas affectiones manaverunt, atque Cal. April. L. U. faciei colore florente, viribus plane restitutis, uno verbo sanata, nosocomium caritatis reliquit, atque inde ab hoc tempore usque ad mensem Septembr. valetudine optima fruebatur, ubi vero spasmi denuo apparebant. —

A. L. priorum evolutionum tempora sine ullo casu singulari transegit, attamen annum decimum sextum agens, quo tempore corpus nondum prorsus erat excultum, catamenia, affectionibus vehementibus spasticis accedentibus, primo apparuerunt. Hae affectiones spasticae magis magisque crescebant, epilepsiae tandem speciem prodebant, quinto quoque aut sexto die repetitae,

atque eo tempore, quo catamenia instabant, magnopere exacerbatae sunt, ut typus menstruus satis agnoscendus esset. Morbo jamjam sex per menses non cessato, catamenia, medicis juvantibus melius constituta, per semestre justum ordinem retinebant. Hoc tempore A. L. optima valetudine gavisa ab omni spasmo liberata erat. Mense Novembri catamenia tenuiora atque exilia fluebant et refrigeratione plane repellebantur. Inde ab hoc momento cephalea, ardor volatilis, horripilatio, hystericae omnis generis affectiones, quae octo dierum spatio in convulsiones totius corporis sese mutabant, aegrotantem vexabant. Convulsiones in dies crescentes, saepius redibant, ut aegrota Decembri incipiente tandem nosocomio caritatis Berolinensi transmitteretur.

Hoc tempore florida, vigens et plethorica virgo, gracili corporis structura erat, cujus organismus in omnibus dimensionibus haud plane excultus videbatur: pelvis adhuc arctus, thorax planus angustusque, collum tenue, mammae parvae haud excultae apparebant, ita ut totus organismus infantilem imaginem exhiberet. Facies perpetuo florida, saepius singulari colore rubro obducta atque ardens conspiciebatur. Pulsus frequentes, celeres, pleni, haud raro spastice suppressi erant. Respiratio oppressa, saepius raucida fuscaque tussi interrupta. Lingua pura, rubicunda, appetitus et digestio non turbata, alvi dejectiones rariores animadvertebantur. Nonnunquam affectiones hystericae ut dolores colici, cardialgia, globus hystericus, retentio urinae, etc. apparuerunt. Vultus hilaritatem et petulantiam puerilem indicabat, nec unquam pudorem puellae adolescentis prodidit; animus faciei vigori respondebat, nihilo vero secius sensibilitas quaedam puellae atque mobilitas hysterica satis agnoscenda erat, qua non raro hilaritas ingenita turbabatur. Aliquod tempus ante paroxysmos incipientes, aegrotans plerumque lassitudinem atque dormiendi cupiditatem, capitis dolores, aurium susurrum, re-

spirationem anxiam sensit; quae autem omnia nequaquam constantem observabant ordinem, sed saepius aderant spasmi sine ullis prodromis. Non minus diversa symptomata in ipso paroxysmo exstabant, qui, mente et cogitationibus subito cedentibus et toto corpore rigescente, adparebat. — Praecipue abdomen, dorsi cervicisque musculi affecti videbantur. Modo enim opisthotonus imbecillis superiorem trunci partem retrorsum curvabat, ita ut occiput deorsum, faciei musculis vario modo palpitantibus et inferioribus extremitatibus leniter trementibus aut rigescentibus, retraheretur; modo inferior trunci pars antrorsum inflectebatur, ut pelvis pectori, et quidem fere nunquam recta directione, sed plerumque ad alterum corporis latus magis tendens, admoveretur; abdominis musculi modo tumulis assurgebant; modo breves convulsiones colli cervicisque musculorum, per vices sibi succedentes, caput dextrorsam aut sinistrorsum, antrorsum aut retrorsum jactabant; modo spasmus respirationis organa arripiebat: trunci pars inferior figebatur, diaphragmate et pectoris musculis producentibus respirationem imperfectam, sonantem, cum singultu conjunctam, quae saepius tussi rauca vehementeque interrumpebatur. Perpetuo vario modo facies distorquebatur, plerumque vero flebile aliquid in eadem conspiciebatur. Oculi spasmo clausi, saepius, anxio aegrotantis gemitu, lacrymas effundebant. Simulac spasmi incipiebant pugni comprimebantur, pollicibus reclinatis, brachia aut rigescentia, aut leniter trementia extensa erant, saepius vero uno eodemque modo brachiis capiti se admoventibus, digiti extensi capillos arripiebant et evellebant, si brachia in pristinum statum redibant. Haud raro manus immobiles, brachiis reflexis, abdomine aut costis nitebantur. Femora plerumque rigida permanebant. Ex omnibus his phaenomenis minor vis elucebat, ita ut unus vir aegrotantem coërcere posset; sed tum, motibus spasticis vi retentis, angor internus

manifeste augebatur: faciei distorsiones, gemitus anxii crescebant, atque haud multo post vehementes abdominis spasmi, pectoris oppressiones, et tussis horrenda oriebantur. Animi conscientia, spasmo incipiente, semper disparuit, et tum tantummodo, ubi respirationis organa afficiebantur, aliquatenus, nec vero prorsus rediit. Paroxysmis finitis fesse lasseque sese habebat aegrotans, magna dormiendi cupiditate laborabat, rarius dormiebat. Paroxysmi tales quadrantis aut dimidiae horae spatium plerumque non transgrediebantur.

In hysterismum aegrotanti emulsio, ex Asae foetidae ʒj, Extr. Aloës Gr. VI., Mucilag. Gummi mimos. ℥j et Aq. fontan. ℥vj, confecta, praescribebatur, atque simul balneae pedum calidae in usum vocabantur.

Hacce emulsione per tres dies assumta, systema vasorum sanguiferorum magis turbabatur, sanguis magna vi ad caput pectusque pellebatur, quo angor assiduus, pectoris oppressiones et dolores atque ipsa haemoptoë producebantur, simulque de doloribus pungentibus in ovarii sinistri regione querebatur. Paroxysmi, quod ad frequentiam atque vehementiam, adaucti, quinquies septiesve in diem aderant, atque semper longius quam per dimidiam horam perseverabant, formamque plane mutabant; nam spasmi, ceterarum spasmis laborantium, quae cum nostra idem cubiculum tenebant, convulsiones imitati sunt. Opisthotoni loco convulsiones ferientes, quas jamjam descripsimus, conspiciebantur, atque cum variis motibus spasticis abdominis per vices sibi succedebant. Modo antagonisticus quidam diaphragmatis et abdominalium musculorum motus exstabat, quo abdominis organa perpetuo sursum deorsumque, ut in altiore celerioreque respiratione abdominali, agitabantur; modo, omnibus abdominis musculis adjuvantibus, singultus apparebat, modo flexores extensoresque femoris et abdominis musculi invicem contrahebantur; quo factum est, ut

in illo abdominis motu pelvis sursum deorsumque leniter jactareter, ita fere prout in coitu. Simulque in hoc casu abdominis organa spastice semper movebantur, luculenterque ipsa eorum rotatio et peculiaris contentorum strepitus sonusque percipi poterat. Hoc cum spasmo commutantia delirii vestigia nonnunquam conspiciebantur, quae eodem modo esse ex imitatione orta videbantur.

Hoc tempore emulsio ex Asa foetida omittebatur et in pectoris affectiones in diem duos pulveres, ex Extr. Hyoscyami gr.j, Nitri depurati gr. VI. Sacch. albi gr. X, paratos, sumi praescribebatur.

Hocce pulvere pectoris affectionibus paene remotis, haemoptoë plane disparuit. Spasmi eodem vigore perseverantes iterum sese ex imitatione mutarunt. Occipite enim pedibusque immobiliter lecto nitentibus, corpus eodem modo, ut in anguibus conspici licet, volvebatur, qua de re, quae jam supra exposuimus, conferas. Hoc spasmi genus et omnes priores casus per vices sequebantur, atque brevibus intervallis delirio distincte exculto, cedebant. Lineamenta oris anxia et flebilia evanuerunt et petulantiam puerilem prodiderunt Oculi spasmo antea clausi aperiebantur, atque videbant. Aegrotans omnibus, quae in propinquo accidebant, movebatur; omnibus hominibus praesentibus illudebat, cum quibus confabulabatur, ubique fictitias animi imagines proferens. Quo factum est, ut omnes homines resque in propinquo perseverantes commutaret, putaretque jamjam se sanatam esse. Ridebat, circumspuebat, pedes jactabat, carminum partes, quae prius memoraverat, declamabat, singulas sententias in lingua francogallica eloquebatur, semper fere vero ridens admixtis jocis puerilibus. Usque ad XII d. a. Cal. Jan. emulsionem ex Nitro et Infus. Jalappae cum mucilagine gummi mim. paratam assumsit, qua alvi dejectiones frequentiores reddebantur,

pectoris affectiones magis magisque disparebant, spasmis in eodem statu permanentibus. Aegrotae vires nunc frangi, genae pallescere, pulsus minores et molliores fieri incipiebant, sanguinis ad organa impetus remittebant, animus mobilior, quam antea, nec non generis nervorum sensibilitas crescebat, sicuti ex majore ad terrorem proclivitate elucebat. Quam ob rem, ut nervorum sensibilitas adaucta deminueretur, aegrotans mixtionis ex Aquae Amygd. amar. ʒ*jj* et Aquae Meliss. ℥*ij* paratae, quotidie cochlearia minora duo hauriebat atque quinto aut sexto quoque die cochleari minore uno dosim priorem augebat usque ad III d. a. Id. Ian.; tunc iterum dosis sensim sensimque deminuebatur.

Tres tantum per dies hoc medicamine assumto, aegrotans valde afficiebatur, ita ut totam per horam post medicamen assumtum de lassitudine totius corporis, de pedum gravitate, de ardore atque pressu in oesophago et stomacho quereretur, atque genarum pallor, pulsusque inertia cresceret. Quae omnia medicamine haud omisso sua sponte evanuerunt. IX d. a. Cal. Febr. catamenia conspiciebantur atque tres per dies assiduo fluebant. Nihilominus spasmorum frequentia permanebat, et cum aegrotans magnopere sensibilis esset, facileque terrore afficeretur, toties paroxysmo correpta est, quoties alia, spasmis laborantium, paroxysmo invaderetur. Vehementia vero spasmorum, quo longius medicamen adhibebatur, eo magis evanescebat, paulatimque in simplices convulsiones deliria alternantes transibant. Cum tandem V. d. a. Cal. Jan. aegrota a ceteris spasmis laborantibus separaretur, celeriter quoque paroxysmorum frequentia decrevit, et inde a pridie Cal. Jan. omnino non apparuerunt.

Primis quatuor diebus mensis Jan. ter vertigo quaedam apparuit, conscientia simul recedente, aegrota sine ullis convulsionibus concidit, mox vero quinque minutis praeterlapsis, ut e somno experrecta est.

Valetudo singulis diebus in melius ibat, medicamen supra memoratum multo minorem in aegrotantem exserebat vim, lassitudo evanescebat, genarum rubor sensim sensimque redibat. Respiratio denuo quidem opprimebatur atque tussis rauca saepius in diem periodice apparebat, sed, cum ipsi natura spastica inesset, priores spasmos finire videbatur. A d. III. a. Id. Jan. aegra, cum minores aquae Amygd. amar. doses sumeret, in tussim linctus ex Syrupi Senegae, Syrup. Althaeae āā. ℥j Extr. Hyoscyam. gr. IV. et Vini stibiat. ℨj. confecti, secunda quaque hora cochleari minore utebatur. — Tussis pectorisque affectiones paulatim evanescebant, vires et genarum rubor crescebant, sensibilitas et ad terrorem proclivitas omnino recedebant, ut aegrota sine ullo incommodo spasmos maxime horrendos aliarum aegrarum adspicere posset. Sanata igitur A. L. XV. d. a. Cal. Febr. nosocomium reliquit. Extra nosocomium tussis refrigeratione denuo crescebat, sponte vero, uno mense praeterlapso, evanuit. Catamenia semper justum ordinem observabant, et A. L. adhuc valetudine optima fruitur. —

A. F. quartum decimum annum agens, corpore haud plane exculto, primum eaque imperfecte menstruata est. Haecce catamenia imperfecta atque vehementes animi perturbationes, eo tempore in virgine excitatae, anomalam nervorum actionem provocaverunt, quas tum variae spasticae affectiones, convulsionibus epilepticis haud dissimiles, tum aliae affectiones ex colli, pectoris abdominisque spasmis compositae sequebantur. Hi spasmi initio typum menstruum tenebant, et cum menses instabant, aut nonnunquam imperfectae revera aderant, valde sunt adaucti, deinde incertis temporibus per se apparuerunt. In nosocomio caritatis Berolinensi curata, per totum se-

quentem annum fluxu menstruali justo gavisa, atque omnibus spasmis, nonnullis modo pectoris spasmis exceptis, liberata erat. Hoc vero temporis spatio libidinibus inserviens aegrota contagio venereo infecta, atque syphilide secundaria jam laborans iterum in nosocomium caritatis Julio anni MDCCCXXIII recepta, atque Mercurii praeparatis variis sanata est. Hoc autem morbo atque ejus sanandi ratione aegrotantis valetudo maxime erat perturbata, menses a justo ordine decedebant, et veteres spasticae affectiones denuo prodibant, inprimis vehementes pectoris collique spasmi oriebantur, quibuscum serius convulsiones totius corporis, abdominis spasmi atque deliria conjungebantur.

Inde ab hoc tempore brevibus modo intervallis aegra spasmis nonnunquam liberata erat, nec unquam mensium fluxus justum ordinem observabat, quamquam aegrota pluries non modo in nosocomio caritatis, sed ab aliis etiam medicis ex diversissimis medendi rationibus curabatur, omnibusque fere medicaminibus antispasmodicis et antepilepticis, a Visco querno Argento nitrico tenus, una serie utebatur. Quoque tempore medicamina calida, praecipue autem pellentia, magno detrimento aegrae erant. A mense Octobri anni MDCCCXXIV aegrotantem observare ipse potui.

Robusta hoc tempore atque obesa videbatur, faciei parum rubescenti magnus inerat turgor vitalis; musculi validi motibusque determinati apparebant; pulsus duri, pleni, saepius suppressi; magna ad sanguinis congestiones proclivitas; capitis dolores saepius recidentes, cordis palpitationes, dolores in pectore pungentes, etc. sat superque sanguinis plethoram indicabant. Manus pedesque plerumque frigidi, atque venis extensis inflati conspiciebantur. Digestio parum turbata, appetitus non aequalis, alvi dejectiones retardatae erant. Haud raro horripilatio, ardore volatili sequente, animadvertebatur. Perpetuo fere de do-

loribus in abdomine fixis atque saepe de urinae excretione impeditiore aegra querebatur; nec catamenia fixum ordinem observabant et per breve tantum temporis spatium fluebant. Nervorum systema valde erat sensibile, unde et magna ejus ad terrorem proclivitas et magnetismi animalis facile recipiendi facultas. Animus facile effervescens non minus erat ad jurgium et iram, quam ad dissimulationem propensus. Paroxysmi plerumque sine ullis prodromis subito aderant, saepius vero ante paroxysmum varia adparebant incommoda: lassitudo, horror frequens, angor, respiratio oppressa, cephalea, vertigo, dolores colici, etc. Variae animi affectiones, refrigerationes, atque turbationes ex nimia vasorum sanguiferorum agitatione exortae, plurimos paroxysmos provocabant. —

Paroxysmorum forma ac natura satis erat multiplex; nam modo paroxysmus incipiebat maximo angore et respiratione oppressa, quae plerumque in pectoris spasmos sonantes aut colli strangulantes sese mutabant, modo subito animi conscientia cedebat, et totius corporis tetanus adparebat, cui convulsiones succedebant. In paroxysmorum decursu perpetuo horrendi colli, pectoris abdominisque spasmi, convulsiones tetanusque totius corporis, catalepsia atque deliria per vices sequebantur. Pectoris spasmi sonantes cujusque fere paroxysmi vel initium vel praeter alios spasmos socii, eandem, quae jam supra est exposita naturam prodiderunt. Semper fere pectoris spasmos colli spasmi strangulantes e vestigio secuti sunt, et dum corpus tetano leniori extendebatur atque rigescebat, caput ad nucham retrahebatur, collum inflabatur, indurescebat et capitis collique venae sanguine turgebant, genae labiaque livida, oculi ex orbitis prominentes lacrymasque effundentes videbantur: quae omnia integra animi conscientia acciderunt. Atque tum demum, cum spasmus vehementissimus fuerat, et diutius perseveraverat, aegra in statum soporosum incidit. Qua ex re in

terribili angore versabatur, cum quoque momento sese suffocatam, intercluso spiritu, perituram esse, opinaretur. Omnia igitur arripere, ubique se tenere tentabat, unguibus sese laniabat plangebatque, capillos evellebat, usque eo donec acuta et protracta respiratio, conjuncta cum sono quodam acri ac claro, atque magna sputorum tenacium copia ejecta, per breve tempus aegram angore miserrimo levaret. Exspiratione vero finita atque inspiratione vix incepta, malum, modo enarratum, jam aderat, quod hoc modo nonnunquam per dimidiam horam repetitum, plerumque aliis incommodis, inprimis pectoris spasmo sonanti locum dabat. Uterque spasmus postquam per aliquod tempus perduraverat, animi conscientia evanescebat, tetano aut catalepsia totum corpus per breve tempus rigescebat, et nunc aegrota modo variis abdominis et ferientibus spasmis, quorum naturam jam supra exposuimus, modo delirio arripiebatur. Abdominis spasmi nunc vehementis sonantisque singultus instar, nunc peculiari strepitu motuque intestinorum, qui per abdominis integumenta perspici poterat, apparebant; modo antagonistice abdominis musculi et diaphragma ascendebant et descendebant, quo intestina eodem modo jactabantur; modo utrumque abdominis latus antagonistice afficiebatur, ut abdomen intestinaque ab altero ad alterum latus tererentur, atque invicem alterum latus excavatum, alterum prominens conspiceretur; modo pelvis, abdominis femorumque musculis simul agentibus, leniter sursum deorsumque, motum in coitu imitans, movebatur: atque haec omnia absente animo fiebant.

In deliriis externi sensus nulla re movebantur, nec ullum irritamentum efficere aliquid poterat; sed ipsa aegra semper fere in hoc statu de viris loquebatur, nonnunquam furens circum sese feriebat, mordebat, despuebat, plerumque vero ridebat et ludebat; neque risus tamen nec lusus innocentia et simplicitate, quam aegrotantes illae

duae supra memoratae prae se ferebant, erat insignis. Paroxysmus nunquam ipsa una alterave horum spasmorum forma finiebatur, sed semper fere per breve tempus transiit in totius corporis tetanum, e quo, ut e somno graviore, aegrotans expergiscebatur; aut paroxysmus in verum somnum breviorem dissolvebatur. Saepe tali paroxysmo finito variae abdominis affectiones remanebant, ut dolores colici, pungentes dolores volatiles in hypochondriis, in ovariorum uterique regionibus, vesicae urinariae spasmi; qui casus tunc praesertim apparebant, quum in paroxysmo vehementiores assiduioresque abdominis spasmi aegrotantem cruciaverant.

Paroxysmi in diem ter quaterve praecipue vespertino tempore apparebant. Haud raro ante, aut post paroxysmum, nonnunquam quoque sine ullis aliis spasmis, catalepsia vel delirium oriebatur; utrumque vero incommodum plerumque per breve modo temporis spatium perseverabat, vel saepe simulatum videbatur.

Superiori jussu haec quoque aegrota oleo Carvi aeth. in spasmos utebatur, sed auspicia infausta mox aderant. Nam hoc medicamen calidum, cum spiritu Jamaicensi adhibitum, magnopere sanguinis adaugebat fervorem, qui frequentiores paroxysmos sexies, quin etiam octies in diem provocabat. Magna aegrotantis lassitudo, variae affectiones gastricae, pungentes in pectore dolores, etc. oriebantur, ut hujusce medicaminis usus omitteretur, necesse esset. Deinde pilulae ex argento nitrico fuso confectae, haud meliore successu in usum ducebantur. Vesicae urinariae spasmi, dolores pungentes in abdomine, etc. crescebant, catamenia saepius nonnullas per horas sine ulla spasmorum mutatione fluebant, eaque semper genitalium leucorrhoea levis sequebatur.

Mense Decembri incipiente salia aperitiva in usum vocata, nonnullis diebus praeterlapsis, systema sanguiferum turbatum atque paroxysmorum

furorem mitigaverunt. Vehementes frequentesque paroxysmi, irritatio nimia atque salia adhibita aegrotantem satis jamjam debilitaverant, ut genae pallescerent, turgor vitalis recederet, pulsus inordinati et molliores fierent atque magnopere de nervorum influxu penderent, nervorum generis sensibilitas valde adaugeretur, atque status ecstaseos diutius perseveraret. His ex causis nunc aqua Amygdalar. amar. in usum ducebatur, ita ut mixtionis ex Aq. Amygdal. amar. ℥ß, et Aq. Chamomill. ℥jV. confectae in diem duo cochlearia majora sumerentur.

Hoc medicamine octo per dies assumto spasmi tantopere diminuti sunt, ut non modo eorum vis fracta videretur, sed saepius etiam plures dies intermitterent, inprimis vero colli abdominisque spasmi celerrime decrescerent. Aegra igitur tria medicaminis cochlearia majora in diem bibit. Iterum octo diebus praeterlapsis, spasmi ex imitatione plane immutati sunt, ut ferientium convulsionum loco spasmi volventes, quos supra enarravimus, multo vehementius apparerent, quam in illis superioribus vidimus, ideoque adspectum multo magis horrendum praeberent. Nam faciei distorsiones, ululatus molestus, truncus artusque distorti et volventes multo vehementiores, quam in illis videbantur, ut saepius vincula rumperentur. Nonnulli vero tantum paroxysmorum horum vehementium apparebant, quoniam animi affectiones et alvi dejectiones retardatae simul graviora haec incommoda maxima ex parte attulerant ita ut, illis remotis, melius se haberet aegra. Medicamen magnopere in aegrotam agere incepit, ut medicamine vix sumto oesophagus stomachusque arderent atque comprimi viderentur, nec non magna lassitudo totius corporis, praesertim autem pedum nasceretur; pulsus debiliores, minores, nec tantopere, quantum antea erant, de nervorum systemate pendentes apparerent. Simul vero nervorum sensibilitas valde est diminuta, ad terro-

rem proclivitas evanuit, paroxysmi magis magisque retardati sunt, atque a IX d. a. Cal. Jan. paroxysmus perfectus omnino non recucurrit.

Sensim sensimque vires restituebantur, lassitudo, pressus ardorque in regione epigastrica recedebant; pulsus vero per aliquod temporis spatium minores permanebant, in pectore pressus et dolores leves oriebantur, respiratio anxia atque tussis rauca fuscaque animadvertebatur, in quam sine prospero eventu linctus ex Extr. Hyoscyami gr. IV., Liq. Ammon. foenicul., Olei Papaver. āā ʒß, Syrup. emulsiv. ℥ß, confecti saepius cochlear minus sumi, praescribebatur. In gastricas affectiones accedentes emeticum et postea solutio Ammonii muriatici in usum ducebatur, et tali modo tum status gastricus, quum pectoris spasmus deminuebatur, pulsusque pleniores reddebantur. Paulo vero post denuo asthma vehemens cum doloribus volatilibus in pectore, cumque pectoris musculorum convulsionibus nascebatur, ita ut, ne inflammatio quaedam oriretur, libram sanguinis unam dimitteretur, necesse esset. Sanguine dimisso aegra statim sublevabatur, sequente vero die casus superiores rursus adparebant, quam ob causam tertia quaque hora pulvis ex Extr. Hyoscyam gr. j, Sacchari albi gr. x, paratus sumebatur. Denuo haec incommoda evanuerunt, at simul quoque gastricae affectiones aderant, qua ex causa Ammonium muriat. cum Infuso Jalappae in usum ducebatur.

Cum status hoc medicamine nullo modo mutaretur, et causa mali in nervorum intemperie quaerenda esse videretur, Aether aceticus adhibebatur.

Nonnullis diebus praeterlapsis jam omnes superiores affectiones remittebant, et aegrota tantum de magna debilitate querebatur. Ut vires restituerentur, aegrota medicaminibus quibusdam amaris utebatur, quibus assumtis celerrime vires redibant, ut jam mense Februario nosocomium sana-

ta relinqueret. Vires enim, genarum rubor, pulsus pleni et aequales restituti erant, catamenia pluries nonnullos per dies fluxerunt, nervorum systematis sensibilitas nimia, spasticaeque affectiones plane sublatae erant.

Quatuor per menses A. F. quoque spasmo liberata erat, mense vero Majo MDCCCXXV ex refrigeratione catamenia suppressa atque vita fortasse dissoluta priorem morbum denuo revocaverunt. —

Epicrisis.

Hi casus enarrati, cum inter sese comparantur, magnam certe similitudinem et cognationem mutuam produnt. Morbus enim quo haece aegrotae implicitae omnes erant, ex una eademque causa, ex perversa scilicet genitalium functione, ortus eadem natura erat, eadem phaenomena ostendebat, atque aequalis medicaminum adhibitorum in eum morbum efficacia. Priusquam his ex casibus, quibus quartum, haud dissimilem addere possim, copiosius exponam, cur in hos spasmos medicamina acidum borussicum continentia adhibenda esse, statuam, pauca de his spasmis praemittam, necesse est.

Genitalium functio non modo in puella ad pubertatem sese evolvente sed in adulta etiam maximi momenti est [1]), atque totius corporis femini structura ad hanc functionem optime perficiendam maxime accommodata videtur [2]); ideoque perversa genitalium functio magnopere in ceterum organismum, praecipue autem in vasorum sangui-

---

[1]) *Dr. F. Benj. Osiander, über die Entwickelungs-Krankheiten. Thl. I. Seite* 6.

Henke — *Entwickelungs-Krankheiten. Seite* 121.
Carus — Gynaekologie. §. 207 *u.* 211.

[2]) *Henke* — *Seite* 127-140.

ferorum atque nervorum systemata reagat, necesse est; cum haec systemata omnes functiones regant, et mutuum organorum connexum conservent. Quae reactio autem eo magis eniteat, necesse est, si systematis sexualis functio tum turbatur, quum uterus hucusque iners in vitam activam transire atque vi inconsueta in totum organismum influere incipit [1]). Hinc illa series morborum, qui pubertatis evolutionis tempore ac postea exiguis ex causis facillime oriuntur, hinc illa modo vasorum, modo nervorum, modo ceterorum organorum ex consensu orta pathemata [2]); ita ut forsitan ne unum quidem organum existat, quod ex hac functione turbata aegrescere nequeat.

Frequentissima ac multiplici forma hanc causam provocare mala, quae ad systema nervorum pertinent, satis liquet [3]), atque inter haec spasmi maximi momenti sunt. Hi spasmi sub specie modo hysteriae adauctae, modo epilepsiae horrendae adparentes et omnes utriusque formae gradus percurrentes satis initio ab epilepsia vera differunt, non multo post vero in eandem transeunt. Dum enim in epilepsia vera unum nervorum systema primarium (vel cerebri, vel medullae spinalis, vel gangliorum systema) prae ceteris patitur, atque hac ex causa phaenomenorum cyclus, ex uno eodemque horum systematum progrediens, perpetuo idem est: in spasmis, ex turbata systematis sexualis functione ortis, cum morbus sedem certam nondum teneat, sed omnes nervi sensibilitate adaucta laborent, phaenomena tanquam in totum nervorum systema diffunduntur, neque modo in toto morbi decursu, sed saepius in singulis quoque paroxysmis omnes epilepsiae verae formas

1) *Henke* — *Seite* 123.
2) *Henke* — *Seite* 124.
3) *Osiander S.* 62.
Carus §. 254.
Henke S. 163 — 165.

cursim subeant. Omnium phaenomenorum igitur inconstantia ad naturam spasmorum ex perversa genitalium functione natorum spectat. Semper vero nunc celerius, nunc lentius hoc vel illud systema insigniter aegrescit, phaenomena hoc a tempore eadem manent, atque epilepsia vera, eaque saepissime ex gangliorum systemate, seu hysteria epileptica oritur. Quam diu tale quidquam nondum est factum, hi spasmi, Dre Sinogowitz auctore, satis distincte in duos ordines dividi possunt; prout enim aut erethismus irritabilitatis, id est: erethismus extremarum nervorum partium vasis sanguiferis propriorum, — aut erethismus nervosus, id est: erethismus nervorum, qui ad centrum spectant, — praevalet. Quae divisio a Dre Sinogowitz maxime ingeniose instituta, in praxi magni momenti esse videtur, atque paucis verbis explicetur, necesse est.

In erethismo irritabilitatis, ubi sanguinis ubertas prope ad plethoram accedit, vel plethoram ipsam producit, ex hacce sanguinis uberioris non minima vi in extremos vasorum sanguiferorum nervos erethismus systematum irritabilitatis adaugetur, quo fit, ut inter sanguinem nervosque aequalis vita turbetur. Sanguinis copia normalem nervorum vim superans ipsosque nervos turbans, quoquoversus ruit; unde nascuntur: lipothymia, vertigo, pulsus suppressi, inflammationes, apoplexia, etc. Venae sectiones functionum aequilibrium restituere possunt, non plane turbatum; sin vero nervorum ille erethismus ad centrum usque jam processit, et nervorum morbus jam adest, tunc sanguinis dimissio caute instituta non nisi hoc efficit, ut ad sanandum nervorum systema, quod penitus morbo correptum est, procedi possit, nimia vero venae sectio gravia incommoda plerumque affert.

Plurimae aegrotae hunc characterem morbo oriente produnt, quod florente faciei colore, magno turgore vitali, torosa artuum structura facile agnoscendum sit. Motus earum vehementes coërci-

ërciti sunt; saepius de capite dolente, de cordis palpitationibus, de nimio sanguinis adfluxu ad pectus caputque, de doloribus pungentibus in pectore, etc. queruntur; facile erubescunt, repente ira rixaque implicantur. Pulsus plerumque duri, pleni, saepe etiam suppressi; manus et pedes frigidi, venis extensis inflati apparent; catamenia plerumque exilia jam inde ab initio nec justum typum tenent, nec, cum apparuerunt, diu permanent, sed semper fere nonnullas modo per horas fluunt. Interdum paullulum ante aut post catamenia, nonnunquam quoque eorum loco genitalium leucorrhoea transgrediens, et mammarum indurationes, haud raro etiam urinae retentio oriuntur. Digestio parum turbata, appetitus saepe vitiosus est, alvusque rarius movetur. Lingua rubra, plerumque haud oblita videtur. Cutis temperies frequenter mutatur, saepe ut in febrili horrore, aegrotantes cohorrescunt. Paroxysmi subito plerumque sine prodromis adsunt, si vero praecedunt prodromi, symptomata vehementioris sanguinis fervoris, ut capitis dolores, vertigo, nimius sanguinis adfluxus ad caput pectusque, esse videntur. Mali ipsius initium plerumque sunt pectoris spasmi sonantes collique strangulantes, quos singularium partium, aut totius corporis tetanus; qui membra huc illucve ingente vi vertit, conscientia animi haud plane perdita, sequitur. Paroxysmi per unam duasve horas permanent, atque in diem quater ad octies praecipue vespertino tempore adparent.

Quam diu hic status idem permaret, quod modo per menses, modo per annos quoque, ut in primo et tertio casu enarrato, fieri potest, prognosis est fausta; attamen postremo in erethismum nervosum transit. Paulo ante vero phaenomenorum fluctuatio observatur; faciei color pallescit, membra segniter moventur, pulsusque inaequales, molliores, magisque de nervis pendentes adparent; caput saepius dolet, appetitus deest, nausea

praecipue matutino tempore nascitur, catamenia per longius temporis spatium fluunt, eaque haud raro leucorrhoea copiosa, sponte iterum recedens, sequitur, magna denique in magnetismum animalem sensibilitas conspicitur. Paroxysmi rarius et minori vi aegrotantem vexant, animi deliquium in iisdem clarius animadvertitur. Paroxysmo finito lassitudo atque taedium majus adest.

Hic status intermedius inter erethismum irritabilitatis et nervosum magni est momenti in morbo curando, cum tempus indicet, quo medicamina acidum borussicum continentia adhibenda sunt.

In erethismo mox adparente nervoso, in quo nervi vasorum sanguiferorum peripherici, ex sanguinis inopia debilitati sunt, irritabilitas nervosa seu sensibilitas augetur. Pulsus frequentiores, minores redduntur, receptivitas augetur, organismi actiones nimis perficiuntur, quo nutritio deminuitur, et nervorum systematis, nec non totius organismi, debilitas gignitur. Nervi soluti semper fere nimis agunt, variasque nervorum affectiones et spasmos producunt. Hujusce igitur generis spasmi mitiores, verumtamen intensiores, majoribus cum doloribus conjuncti, atque, quod ad sanandum, difficiliores atque impeditiores videntur, hucusque vero certum nervorum systema nondum occupaverunt, sed inter omnia nervorum systemata vagantur, ideoque mirabilia phaenomena provocant, donec tandem certam sedem sibi eligunt, atque in epilepsiam veram transeunt. —

Hujus characteris individua cognoscuntur: ex faciei pallore, ex orbibus oculos cingentibus, collapsis lividisque. Oculi nitore carentes in quaque animi affectione splendent. Corporis structura gracilis, musculi laxi, in ipso spasmo parum tantummodo intenti apparent, atque velociter, sed per brevius tantum temporis spatium, sine ulla vi moventur. Saepius aegrotantes de volatilibus doloribus in pectore et abdomine, de cephalea que-

runtur. Pulsus parvi, celeres, magnam mobilitatem produnt, de nervis magnopere pendent. Catamenia plerumque aut ante, aut post statum normalem, cum cephalea, doloribusque colicis conjuncta, nonnumquam vero etiam, justo ordine observato, manant. Spasmo vero jamjam genito, catameniorum ordo fixus evanescit, posteaque causa et effectus discerni non possunt, quod utraque eodem ex fonte, erethismo nervoso, haud raro derivanda sunt. Menstruorum fluxus saepe adparet, exigua autem quaque causa repellitur, ita ut fluor albus et variae convulsiones inde nascantur. Colica, etc. digestionem turbant, alvus semper raro movetur. Lingua rubicunda, muco albescente oblita est. Saepius ex refrigeratione leviori atque animi affectionibus spastica urinae retentio oritur. Cutis temperies minorem praebet inconstantiam, plerumque vero spasmo horror quidam antecedit. In paroxysmis ordo omnino deest, nervorum sensibilitas, usque ad spasmum aucta, omnes ejusdem regiones pervagatur. Paroxysmi modo cerebralem, modo spinalem, saepissime hystericam epilepsiam imitantur, quisque autem paroxysmus ne in sese quidem constans, sed in totum nervorum systema sese explicans, animadvertitur.

Prognosis in erethismo nervoso multo infaustior est, quam in priori charactere, hic enim nervorum systema multo magis est affectum. In sensibilitate tantopere adaucta, omnia tandem fiunt quasi irritamenta, et organismus denique perpetuis impetibus succumbit, cum hucusque ratio non existat, quae nervorum systematis in organismum vim, nisi simul irritabilitas debilitetur, deminuat.

Haece communicatae a Dre Sinogewitz mecum sententiae, si cum casibus tribus enarratis conferantur, ostendunt, hos casus ad ordinem spasmorum, ex perversa genitalium functione ortorum, pertinere, quibus erethismi irritabilitatis

natura inest. In omnibus systema vasorum sanguiferorum praevaluit, ita ut quoque irritamento magnopere incitaretur, et, dum nervi vasorum irritati simul in nervos centrales reagebant, paroxysmus sequeretur. Eadem ex causa omnia medicamina calida nocebant. Neque prius unquam status in melius mutabatur, quam perpetuis impetibus atque medicaminibus debilitantibus irritabilitas sanguinisque moles praevalens deminuta esset. Eo igitur tempore, quo facies pallescens, pulsus minores, molliores et inaequales, lassitudo, paroxysmi rarius atque lenius adparentes, etc. stadium intermedium inter erethismum irritabilitatis et nervosum indicabant, Aqua Amygdal. amar. adhibita, praecipue in secundo et tertio casu efficacem se celerrime praebuit, et aegrotantes sanationi admovit.

Therapia.

Indicationes.

1) *Sanguificatio simulque irritabilitas deminuenda est.*

2) *Nervorum actio anomala removenda est.*

Sanguificationi deminuendae victus exilis, ciborum excitantium abstinentia, somnus brevis, corporis motus, viriumque temperans, ne paroxysmum sanguinis fervor producat, exercitatio potissimum inserviunt. Nec non perpetuo alvus satis movenda, ne sordes gignantur; saepius medicamina aperientia in usum sunt ducenda, praesertim cum hac ratione nonnunquam alteri quoque proposito simul satisfacere possimus, ut ex secundo casu elucet. Postquam enim aegrotans nonnullos per dies Nitro cum Infus. Jalappae usa erat, arteriarum orgasmus et irritabilitas nimia frangebantur, atque symptomatibus stadii intermedii in-

ter erethismum irritabilitatis et nervosum apparentibus, nihil fere, nisi sensibilitas aucta remanebat.

Quodvero cum non semper sufficiat, ad alia remedia validiora aufugiamus, necesse est. Primum locum hic obtinet sanguinis dimissio. In magna enim sanguinis plethora, ut antea jam diximus, propositam curandi rationem praeparat, dum sanguinis copia per eam deminuta, non modo impedit, quominus vasorum sanguiferorum nervi nimis incitentur, sed eorum etiam perpetuam irritationem tollit, atque hoc modo nonnunquam, nullo alio remedio adjuvante, stadium intermedium saepius jamjam commemoratum, adducere potest, nec non ne periculum majus nimio sanguinis adfluxu ad organa digniora adducatur, prohibet. In ipso medendi decursu sanguinis dimissio quoque in subitos casus, sanguinis impetu allatos, saepius est remedium salutare et necessarium, ut in haemoptoën, apoplexiam etc. Semper vero providendum est, ne nimia sanguinis copia dimittatur, ideoque pulsus perpetuo observandi sunt; quoniam nimia sanguinis quantitas dimissa statim erethismum nervosum provocare, morbum insanabilem reddere, et damnum immensum producere potest.

Plethora sanguinis si quidem minor sit, at magnus tamen arteriarum orgasmus adsit, ita ut perpetuo, ne nimio sanguinis ad organa adfluxu periculum nascatur, metuendum sit, vel ipsum malum jam nascatur, Digitalis purpurea adhibita, magni pretii esse potest. Hae enim arteriarum actiones, sanguinis igitur circuitum rapidum deminuit, atque cum salibus conjuncta nonnunquam sanguinis dimissionem supervacaneam reddere potest. Attamen probandum videtur, eam dosibus minoribus repetitis dari, ne narcosis gignatur. —

Erethismi irritabilitatis symptomatibus remotis et stadio intermedio ingresso: horum medicaminum minores doses dantur et continuo, donec

pulsus omnino molles et tardi fiunt, facies pallescit, catamenia per longius temporis spatium fluunt, paroxysmi mitiores rarioresque conspiciuntur, nervorum sensibilitas purior et minus de vasis sanguiferis pendens apparet, ad terrorem proclivitas, magnetismi animalis recipiendi facultas valde crevit.

Ubi abnorme irritamentum ex sanguinis fervore exortum, efficiens scilicet paroxysmorum causa, remotum est; ubi spasmi quasi ex impressione nervosa originem ducere videntur, humiliorumque nervorum sensibilitas manifeste est adaucta; ubi medicaminibus acribus et roborantibus arteriarum actio facilius increscere, sanguificatio augeri, atque denuo status prior revocari posest, tunc medicamina acidum borussicum continentia adhibenda esse elucet.

Dr. Fr. W. Vogt enim de medicaminibus acidum borussicum tenentibus haec dicit:

„Acidum borussicum praecipue in nervos pe„riphericos humiliores, praesertim in eos, qui cum „abdominis gangliis et medulla spinali conjun„gunguntur, agit; receptivitatem et sensibilitatem „eorum, minus autem energiam (*Wirkungsvermö„gen*) deminuit [1]). Hac ex causa acidum borus„sicum in erethismo nervoso, nonnullis spasmis, „etc. meconio praeferendum est; acidum borus„sicum enim nunquam tanta in vasa sanguifera „et respirationem vi, quanta opium est, nec ar„teriarum functionem auget, quamquam venas „admodum extendit, sanguinemque ad corporis „superficiem propellit. Magnae doses energiam „quoque et medullam spinalem, [2]) majores cere„brum ipsum afficiunt [3]). Minoribus igitur acidi „borussici dosibus, ut sensibilitatem valde adau-

---

[1]) *Lehrbuch der Pharmacodynamik von Dr. Er. W. Vogt.* §. 311.
[2]) ibidem §. 313.
[3]) ibidem §. 314.

„ctam et nervorum e gangliis medullaque spinali „missorum debilitemus, nimiam actionem, uti-„mur [4]);" quod idem Dri. Aug. Fr. Hecker videtur [5]). — Ne unquam in medicaminum acidum borussicum continentium usu exspectatione major effectus appareat, nec energia simul cum sensibilitate debilitetur, caute providendum est; quod cum debilitatem universalem provocet, majora afferat incommoda. Jam vero nimis efficax fuisse illud medicamen, ex permanente magnae lassitudinis et gravitatis membrorum, praecipue pedum sensu, ex digestione omnino turbata, ex ardore pressuque perpetuo in regione cardiaca et oesophago, ex turgore vitali prorsus evanescente, ex dormiendi cupiditate aucta facile agnoscimus [6]). Huc accedit, quod paulo post medicamen acceptum nausea, vomituritiones et vomitus ipse oriuntur, cephalea existit, pulsus accelerantur, vertigo, angor, dispnoea, convulsiones ipsae, et opistotonus nascuntur [7]). Nec hoc nimio solum acidi borussici usu accidit, sed exiguis ipsis dosibus assiduo adhibitis, arteriarum actio valde deminuitur, sanguis tarde venas percurrit, sanguinis stagnationes in venis oriuntur, inprimis autem ejusdem per pulmones transitus impeditur. Quo pectoris affectiones, respiratio oppressa, angor, palpitatio cordis, non modo pectoris nimis sanguine repleti, sed ingentis sanguinis copiae in pectus adductae sensus gignuntur; tussis sicca aegrotantem vexat: quae omnia pectoris spasmos haemoptoëmque et pneumoniam facilius provocant ut Joerg quoque usu cognovit [8]). Inprimis autem hi casus appa-

---

4) ibidem §. 318.

5) *Praktische Arzneimittellehre von Dr. Aug. Fr. Hecker. Theil I. Seite* 415.

6) *Handbuch der speciellen Heilmittellehre von Carl Sundelin. Theil II. Seite* 88.

7) ibidem.

8) *Joerg in Frorieps Notizen 9. Bd.* 10. *Stück, Seite* 151 — 152.

rent, si acidum borussicum sanguinis plethora praevalente adhibetur; hic enim, cordis sinistri et arteriarum actione deminuta, nimia sanguinis copia facillime in pulmonibus stagnat. Ego ipse in alia aegrotante haec phaenomena, acido borussico, priusquam indicatum esset, in usum ducto, animadverti, ita ut acidi borussici usus non modo exponeretur, sed sanguis etiam detraheretur, necesse esset.

Hi casus, ubi igitur adparent, statim, prout res sese habeant, aut dosis deminuatur, aut acidi borussici usus plane relinquatur. Tamen nonnullae post medicamen assumtum molestiae transgredientes, ut in regione cardiaca ardor pressusque, appetitus turbatus, lassitudo adaucta, gravitatis in pedibus sensus usui acidi borussici continuato non statim contrariae esse, mihi videntur; nam in superioribus casibus haec phaenomena cum convalescentia arcte cohaerebant, atque postea sponte evanescebant, nec ullum detrimentum ex medicaminis usu continuato fiebat. His tamen indiciis apparentibus, eo magis aegrotans observetur oportet, ne malum increscat.

Dum medicaminis usu continuato sensibilitas deminuitur, simulque nervorum systematis quies redit, energia accrescit, atque ita sensim sesimque nervorum et vasorum sanguiferorum harmonia restituitur. Deinde omnes functiones faventur, nutritio atque sanguificatio, quamquam acido borussico utatur, augentur, ut casus enarrati demonstrant; pulsus pleniores, fortiores, aequabiliores fiunt, atque nervorum nimiae vi subducuntur, rubor faciei, turgor vitalis redeunt. Catamenia plerumque sponte apparent, atque irritabilitate nimis aucta vasorum sanguiferorum remota aut semper postea, aut eo usque, donec causa occasionalis denuo morbum revocet, typo regulari fluunt. Ad terrorem proclivitas, insigne erethismi symptoma, plane evanescit, somnus haud turbatur. Spasmi, postquam in dies leniores apparuerant, longis

tan-

tantum intervallis redeunt, saepe in affectiones leniores spasticas et hystericas transeunt, atque postremo prorsus cessant. Propensio ad spasmos ipsa adeo deminuitur, ut aegrotantes, quas quisque terror et cujusque epileptici adspectus convulsionibus afficiebant, postea hunc adspectum sine ullo incommodo ferre possent.

Adhibendi acidi borussici ratio, prout res sese habent, mutetur, necesse est.

Primo emulsio ex Amygdalis amaris excorticatis parata, deinde aquâ Amygdal. amar. vel aqua Lauroceras. medicamine quodam adjecto, ut aqua quadam aetherea, in usum ducenda est hoc modo:

℞. Aq, Amygdal. amar. ʒjj
Aq. Melissae ℥jj

Cujus mixtionis initio in diem duo cochlearia maiora hauriantur.

Dosis paulatim, forsitan octavo quoque die, uno cochleari, ita tamen, ut cautelae supra memoratae nullo modo negligantur, augetur, donec spasmi haud recurrentes, in magnetismum animalem stupor, nutritio et sanguificatio adaucta, pulsus crescentes, rubor faciei et turgor vitalis resiitutus convalescentiam perfectam indicant. Tunc medicaminis doses deminuuntur, quatenus quodque erethismi vestigium evanuit.

Plerumque sub morbi fine catamenia sponte apparent, quoniam fluxus eorum anomalus non causa, sed effectus tantummodo morbi universalis esse videtur. Quam ob rem nequaquam acido borussico medicaminis pellentis efficaciam tribuam, sed menstrua, quoniam, acido borussico adhibito, erethismus removetur, fluunt. Perversa igitur ratio esset, catamenia in morbi decursu, ubi sensibilitas vasorum sanguiferorum atque nervorum praevalet, emenagogis calidis extorquere, quoniam hoc modo sensibilitas cresceret, in nervis vasisque ingens tumultus provocaretur, malumque augeretur, ut ex casibus enarratis satis superque elucet.

In erethismo irritabilitatis sanguinis ad genitalia adfluxus praecipue eo tempore, quo catamenia ipsa adparere solent, aut molimina eorum conspiciuntur, leniter adducatur, licet; E. c. pedum balneis leniter derivantibus, quae autem, ubi nimis irritant, facillime paroxysmum provocant, id quod in primo casu, supra commemorato, factum est. Adhiberi vero etiam possunt locales sanguinis dimissiones hirudinibus in genitalium regione applicatis, denique venae sectio ipsa palliativa. At raro tantum hoc modo, quod propositum nobis est, attingemus, ut non modo in superioribus, sed in aliis quoque casibus satis superque observavi. In nonnullis quoque hysteriae casibus iisdem fere sub conditionibus acidi borussici efficaciam haud parvam esse, vidi. Neque vero mihi unquam in mentem veniet, acidum borussicum medicamen specificum in spasmos, aut in epilepsiam ipsam habendum esse, sed modo in casus superioris generis in usum ducendum esse, censeo. —

Neutiquam L. U. et A. F. sanatio refutatur, quod denuo vetere malo affectae sunt. Cum enim inflammationes sanatae facillime ex causis novis rursus apparere possint, multo facilius hoc in nervorum morbis, qui tanta mora tantaque gravitate sunt, fieri potest.

THESES DEFENDENDAE.

I. Acidum borussicum efficaciam suam primum in systema nervosum exserere, contendo.

II. Vis vitalis perverti nequit, nisi materia organica antea jam depravata.

III. Emenagoga calida ad amenorrhoeam sanandam, plane rejicienda sunt.

IV. Atmospheram nervorum sensibilem credo.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
BEROLINENSIS
ADIECTUM.

Natus ego sum Henricus, Ferdinandus, Adolphus Kallmann. Bebimostae, oppido in Borussia australi sito, XIII. d. a. Cal. Jul. anno millesimo octingentesimo primo parentibus optimis. Puerili aetate in domo paterna peracta, in litterarum elementis instructus, quatuor fere per annos gymnasium Zuellichoviense frequentavi.

Mense Octobri anni millesimi octingentesimi vicesimi alumnorum instituti regii medico chirurgici Friderici Guilielmi numero adjunctus, per quadriennium medicinae et chirurgiae studio operam navavi.

Hoc temporis spatio hisce interfui scholis: philosophicis Cel. Wolff; chemicis, physicis et pharmaceuticis Ill. Hermbstaedt et Cel. Turte; zoologicis Ill. Lichtenstein. In anatomia universali theoretica, in arte cadavera dissecandi Ill. Ill. Rudolphi et Knape me instituerunt. Entozoorum historiam, encyclopediam medicam, anatomiam comparatam atque anatomiam organorum sensuum Ill. Rudolphi; physiologiam Ill. Rudolphi et Cel. Eck mihi tradiderunt. De pathologia generali, de semiotice Cel. Fr. Hufeland, de pathologia spe-

ciali atque de morbis syphiliticis Ill. Horn dissereentes audivi. Arte formulas concinnandi, anthropologia forensi ab Ill. Knape; materiae medicae doctrina a Cel. Osann; therapia tam generali quam speciali a Perill. W. Hufeland atque a Cel. Fr. Hufeland inbutus sum. Chirurgiam generalem et specialem atque chirurgicarum operationum cursum Ill. Ill. Graefe, Rust et Kluge mihi exposuerunt. De ophthalmiatrice Cels. Juenken, de obstetriciae tam theoreticae quam practicae arte, de fascias applicandi praeceptis, de ossibus fractis et luxatis cognoscendis curandisque Ill. Kluge scholis interfui, nec defui tandem exercitationibus clinicis medicis et chirurgicis Ill. virorum W. Hufeland, Rust, Neumann et Kluge,

Quadriennio peracto in hujusce urbis nosocomio caritatis per annum chirurgi inferioris munere functus sum.

Jam vero peracto studiorum cursu ac tentamine examineque rigeroso coram gratiosa medicorum facultate legitime absolutis, spero fore, ut hacce dissertatione rite defensa, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur. —